



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

In Concilium Lateranense V. oecumenicum decimumseptimum
approbatum, centum & quatuordecim episcoporum, contra Pisanum
Conciliabulum, aliiisque de causis sub Iulio papa II. anno Domini MDXII. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

viuæ leges in senatu assidue consistitis , maxime & quam maxime decet , cum pro diuini Concilii maiestate , tum pro sacrosanctæ ecclesiæ dignitate , quiete & auctoritate hunc ordinem sacerorum pontificum & sacerdotum , quos Deus elegit , Iesus Christus instituit , Spiritus sanctus firmavit , ac vestra membra , vestros angelos , quos ad manum haberetis , & quos in vniuersum mitteretis , esse voluit : in sacrosancta catholica & apostolica ecclesia , cuius onus (vt hoc sanctum imperium late propagarent) suppositis humeris per tot annos sustinuerunt , labores obierunt , insectationes , iniurias , pericula , cruces & cruciatus subierunt , ob tot meritorum magnitudinem , ac eorum ipsorum præcipuam dignitatem , fidem , virtutem , doctrinam , constantiam , patientiam atque vigilantiam , quibus maxime addicti sunt , in ea , quam diuini verbi eloquio a Deo acceperunt , gratia , potestate & libertate seruare , colere , ornare , honestare : vt & sua sibi reddatur ecclesia , & vt ecclesiæ dignitas , dignitati auctoritas , auctoritati Christiana respublika , Christianæ vero reipublicæ pax , iustitia , pietas , & ipsa Iesu Christi sacra & sancta institutio restituatur .

Dixi.

IN

CONCILIVM ^b LATERANENSE V.

^c oecumenicum ^d decimumseptimum ^e approbatum , ^f centum & quatuordecim episcoporum , ^g contra Pisanum Conciliabulum , aliisque de causis sub Iulio papa II. ^h anno Domini M D X II. inchoatum , & tempore Leonis papæ X. anno M D X VII. absolutum ,

NOTÆ.

Concilium
a quo indi-
ctum.

Qua de
causa.

^a Concilium .] Hanc Synodum auctoritate Iulii papæ secundi indictam & congregatam , Maximilianus auxilio & consilio promovit . Omnia enim mandata quæ sub eius nomine a schismaticis in Conciliabulo Pisano promulgata fuerant , reuocauit atque plane irrita reddidit . Iulius pontifex ecclesiasticæ libertatis defensor maximus , anno secundo post sui electionem , prout iuramenti interpositione promiserat , oecumenicam Synodum indixisset , si non grauissimis belli motibus iustissime impeditus , huc usque ad annum pontificatus sui nonum eiusdem congregationem inuitus differre debuisset . Causæ indicti Concilii apud acta synodalia , non uno in loco indicantur . Schismatis illius , quod Conciliabulo Pisano pro-

pagatum fuit, extirratio; Christianorum principum intestino bello inter se mutuo digladiantium optata concordia; Romanæ curiæ totiusque ecclesiæ reformatio; pragmaticæ sanctionis abrogatio, & expeditio contra Turcam sancienda, primariam conuocandi & congregandi Concilii oecumenici occasionem dederunt. Vnde sessione prima Iulius pontifex oratione ad Synodum habita ait: *Conuenisti in unum patres, &c.* Et allocutus est Synodum, exhortans omnes ad meditandum & solerter insistendum super ordinandis, quæ ad ecclesiæ pacem & statum pertinent, ac schismatis extinctionem: & diæ ecclesiæ reformationem, ac contra infideles per Christianos principes expeditionem, pacemque inter eos componendam.

Quisquis ergo hanc Synodum ea dumtaxat primaria intentione a Iulio indictam existimat, vt hoc praetextu iudicium Pisani Conciliabuli declinaret, grauiter aberrat. Cum enim Romanus pontifex legitime constitutus nulli iudici præterquam Deo subiectus sit, & a nemine, vt patres Suezionensis Concilii profitentur, iudicari possit, licebat eidem iustissime eiusmodi usurpatum illegitimum iudicium declinare, etiam si nulla alia causa grauiore impeditus fuisset. Quas vero ob causas alias pontifex reprobato & annullato Pisano Conciliabulo hanc oecumenicam hoc tempore Romæ potius, quam Pisis congregari voluerit, ex bulla inductionis huius Concilii dixi supra in notis Conciliabuli Pisani.

^b *Lateranense V.*] Hæc Synodus inter oecumenicas in ecclesia Lateranensi Romæ celebratas numero & ordine quinta est. Provincia Quotam oecumenicam fuerit.

lum Conciliorum eodem loco sub diuersis pontificibus celebratorum numerus est tantus, vt cum nomine pontificis illius cuius tempore habita fuerunt, conuenientius, quam cum certa numeri nota inscribantur, citentur, & proferantur.

^c *Oecumenicum.*] Praesidium pontificis, praesentia patriarcharum orientalium, resque grauissimæ in Concilio habitæ, oecumenicam

Synodus esse conuincerent, etiam si acta synodalia nihil istius tituli

continerent.

^d *Decimumseptimum.*] Eorum dumtaxat quæ auctoritate apostolica & consensu totius ecclesiæ confirmata & recepta fuerunt.

^e *Approbatum.*] Leo pontifex per bullam, quæ continetur in actis synodalibus, istam Synodum non tantum approbavit, verum etiam ad maximam eius dignitatem declarandam graui poena interdixit, ne quisquam ad decreta, Canones & constitutiones sacrosancti Concilii vllas glossas vel interpretationes citra consensum sedis apostolice adiiciat. Parebo monitis ecclesiæ, nihil interpretabor amplius: quidquid deinceps, lector, a me huic editioni alibi appositum videris, scias esse historias eiusmodi, quas ex probatissimis huius saeculi scriptoribus summatim excerptas posteritati tradendas esse putavi.

^f *Centum & quatuordecim.*] Horum omnium nomina iuxta ordinem dignitatis apud acta synodalia diuersis in locis expressa inueniuntur. Sederunt eo ordine, qui in Conciliis oecumenicis haec tenus obseruari consuevit.

Acta Con-
cili sum-
matim e-
narrantur.

§ *Contra Pisanum.*] Quibus de causis hæc sacrosancta Synodus indicta & congregata fuerit , dixi supra verbo *Concilium* : quid vero in iisdem causis actum sit , indicant summaria sessionum synodarum , quæ actis Concilii nescio a quo præfixa inueniuntur. Quæ cum plurimis in locis præter titulos & inscriptiones nihil habeant, rerumque gestarum & constitutionum editarum parum contineant, pergratum fore putaui , si argumenta dumtaxat singularum sessionum , quam possum breuissime hoc loco enarrem , eaque dumtaxat his adiiciam , quæ in prædicto summario desiderari videntur.

Sessio I.

Prima sessione , quæ habita est decima Maii , anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo , Iulius orationem habuit , qua patres Concilii ad schismatis Pisano Conciliabulo propagati extincionem , ecclesiæ sanctæ reformationem , principum Christianorum concordiam & unionem , expeditionemque contra infideles suscipiendam exhortatus fuit. Qua finita recitata est bulla indicti Concilii, continens causas supra memoratas , quibus pontifex iuste impeditus, Synodus tempore quo promiserat congregare non potuerat.

Sessio II.

Sessione secunda , quæ habita fuit decimoseptimo Maii eiusdem anni, legitur bulla , in qua Pisanum Conciliabulum , omniaque eiusdem acta condemnantur & reprobantur: Lateranense vero Concilium legitime congregatum esse omnium suffragio definitur.

Sessio III.

Tertia sessio habita est tertio Decembris: qua per recitationem alterius bullæ , acta eiusdem Pisani Conciliabuli , omniumque schismaticorum cardinalium , tam ultra quam citra Alpes degentium, iterum annullantur , reuocatis etiam priuilegiis , quæ a sede apostolica acceperant.

Sessio IV.

Quarta sessione , decima die Decembris , recitata est bulla , in qua pragmatica sanctio , quæque eiusdem causa Conciliabulum Pisanum egerat , plane abrogantur atque irrita pronuntiantur.

Sessio V.

Anno Redemptoris nostri millesimo quingentesimo decimotertio , decimosexto die mensis Februarii habita est sessio quinta , cui propter aduersam Iulii papæ valetudinem præsedidit N. cardinalis & Ostiensis episcopus. Post lectam bullam de simonia in electione pontificis non committenda , omnium consensu definitum est , simoniacam Romani pontificis electionem plane nullam esse , ipsique electo nihil juris vel auctoritatis conferre. Additum fuit , quod non tantum cardinales simoniace eligentes , verum etiam omnes , qui vel auxilio vel consilio eamdem electionem promouissent , canonicas depositionis & irregularitatis censuras de facto incurgere debeant. Quam constitutionem synodalem dum omnes episcopi , quinque tantum exceptis , suo suffragio approbassent , finita est sessio quinta. Cumque his quinque sessionibus peractis Iulius papa vigesimoquinto Februarii obiisset , eique post interregnum 14. dierum vndecima Martii , anno Domini millesimo quingentesimo decimotertio , Leo , quem vulgo decimum nominant , in pontificatu subrogatus fuisse , sacrosanctam Synodus quam Iulius inchoauerat , Leo continuari , sextamque sessionem vigesimoseptimo Aprilis celebrari mandauit.

Anno igitur supradicto 1513. vigesimo septimo Aprilis habita est *sessio VI.*
sessio synodalis sexta; qua deputati sunt vigintiquatuor prælati, quo-
rum octo cum cardinalibus apud pontificem agerent de pace inter
principes Christianos componenda, & schismaticis cardinalibus pla-
ne extirpandis: reliqui vero partim pro reformanda curia, partim
etiam pro fide defendenda, & pragmatica sanctione abroganda apud
eumdem inter se conferrent.

Septima sessione, quæ decimo septimo Iunii celebrata fuit sub *sessio VII.*
præsidio Leonis papæ, leæti sunt supplices libelli Bernardini Cara-
uaial, & Frederici de sancto Seuerino schismaticorum cardinalium,
quibus illi abiurato schismate agnitoque errore veniam sibi dari po-
stulauerunt. Simplici clericali habitu induiti, & ad pedes pontificis
prostrati, post solem schismatis abiurationem pristinæ dignita-
ti restituti fuerunt.

Octaua sessione decimonono Decembri definitum est, animam *sessio VIII.*
hominis immortalem esse, atque in pluribus hominibus non vnam;
sed plures esse animas. Professoribus philosophiæ ferio mandatum
fuit, vt principia & conclusiones, quibus Ethnici a Christiana
philosophia discrepant, qualia sunt dogmata de mundi æternitate, de
animæ immortalitate & vnitate, fideliter explicit, veritatem con-
firment, argumenta Ethnicorum philosophorum proponant & dis-
soluant. Additum fuit, ne quis in sacris ordinibus constitutus, ultra
quinquennium in philosophiæ vel poeseos studium incumbat; sed
potius illo exacto studium theologiae vel iuris pontificii adiungat, vt
his scientiis instructus prædictam philosophiam cum poesi ab erro-
ribus expurgare valeat.

Sessio nona habita est anno Domini 1514. quinto Maii sub præsi- *sessio IX.*
dio Leonis papæ, in qua de ætate, grauitate morum, & scientia or-
dinandorum confirmata est constitutio Concilii Lateranensis cœcu-
menici sub Innocentio tertio. Insuper decretum fuit, ne quisquam
prælatorum citra defensionem iudicetur, causamque iustissimam de
loco in locum alium transferatur; nulla deinceps monasteria com-
mendentur; sed defuncto abbate statim ad alterius electionem pro-
cedatur; vñiones perpetuae tollantur; plura quam duo beneficia in-
compatibilia possidere nulla dispensatione concedendum esse etiam
qualificato, nisi magna & vrgens causa id requirat. Cardinalibus
mandatum est, ne extra Romanam curiam resideant. De puerorum
disciplina præceptum est, vt non tantum bonarum literarum, ve-
rum etiam fidei, religionis, bonorumque morum disciplina informen-
tur, diebus festiuis nihil aliud doceatur, quam quæ ad religionem &
bonos mores pertinent. Constitutiones anteriores contra Simoniacos
promulgatae innouantur. Recitationem horarum canonicarum ultra
sex menses ab obtento beneficio omittens, non tantum pro rata tem-
poris officiique intermissi fructus, quos percepit, tenetur restitu-
re; verum etiam si perget vterius contumaciter omittere officium,
prævia legitima admonitione beneficio priuari debet.

Sessio decima habita est quarto Maii, anno Domini 1515. in qua *sessio X.*

Concil. Tom. 34.

Aaaa iii

Montes pietatis ap-
probantur. montes pietatis multis in locis usurpati, & a sede apostolica approba-
ti laudantur & approbantur, excommunicatis iis omnibus, qui vel
verbo vel scripto eisdem impugnare ausi fuerint. Eadem sessione
constitutum fuit, ne sub excommunicatione ullus deinceps liber no-
uus in lucem emitatur, quin vel per ordinarium loci, vel per inqui-
sitionem hæreticæ prauitatis approbatus fuerit.

Sessio XI.
de modo
prædicandi.

Sessione vndeclima, quæ habita fuit anno 1516. die 19. Decembris,
edita est constitutio de modo prædicandi verbum Dei, nimirum ne
quis publice concionari presumat, qui non prævio examine est ap-
probatus; addita determinatione, quas res e suggestu publicare li-
ceat, quibusve ibidem abstinere debeat. Circa finem adiecta est de-
cretis constitutio de religiosis, eorumque priuilegiis.

Sessio XII.

Sessione duodecima anno Domini 1517. decimo sexto Maii celebra-
ta excommunicantur quicumque domos cardinalium tempore elec-
tionis noui pontificis inuadunt: absoluтоque Concilio, Leo pontifex
vniuersa & singula, quæ superioribus sessionibus definita sunt, confir-
mauit & approbavit. Hæc summatim de rebus in hoc Concilio gestis.

^h Anno domini, &c.] Quæ de tempore celebrati Concilii habet
inscriptio, vera esse ex præcedentibus cognoscuntur.

VITA

LEONIS PAPÆ IX.

Q V E M V V L G O X. N O M I N A N T.

ANNO
CHRISTI
1513.

Leo quan-
do ponti-
fex factus:

LEO antea Ioannes appellatus, patre Laurentio Medi-
ces viro nobilissimo, & matre Clarice Vrsina Floren-
tiæ prognatus, annum agens ætatis trigesimum septimum,
creatus est pontifex quinto Idus Martii anno 1513. tem-
pore Maximiliani imperatoris, cum in numerum cardi-
nalium ab Innocentio relatus, biennio propter Mediceos
omnes a Carolo rege Francorum Florentia expulsos, a pa-
tria exulasset, binaque legatione in Florentia functus fuif-
set. Alfonsus Petruций cardinalis admodum adolescens
Leonis creationem de more populo Romano nuntiaturus,
erupit in has voces: Pontificem habemus Leonem deci-
mum; ac viuant vigeantque iuniores. Initio pontificatus re-
pressis atque extinctis bellorum incendiis, quibus orbis fe-
re vniuersus conflagrabat, totum se paci componendæ de-
dit, missisque ad principes legatis, pacem, tranquillitatem
que reipublicæ comparauit; cardinales a Iulio dignitate spo-
liatos restituit; Synodum ab eodem Laterani inchoatam,
& agi, & perficiuissit; Mutinam ab imperatore triginta mil-
libus aureorum redemit; Sfortiam in ducatu Mediolanensi

Res gestæ
Leonis.